







pag. 651, III.

LIPP



35

DE  
**STUDIORUM  
SCHOLASTICORUM**

ratione

apud Protestantes in confiniis Seculi  
XVI & XVII commutata

exponit

---

&

ad orationes iuveniles

d. 19. Septembr. A. O. R. 15 CCXXXVIII.  
audiendas

Patronos & Amicos Lycei nostri

per officiose invitat

Michaël Heinricus Reinhardus.

---

TORGAVIE,  
LITERIS PETERSELLIANIS.

DE

# STUDIORUM SCHOOLASTICORUM

LEONORE

abn Prodigiosis in Confiniis Scythia

XVI & XVII. Continuatio

LEOPOLDI

ad distingue invicem

q. d. Schola A.O. II. 100 CXXVII

LEOPOLDI


Pitores & Amicos Lasci Poloni

Leopoldi Poloni

Hypothecariae Poloniae

LEONEST

LEONEST



**Q**uemadmodum omnium rerum humanarum datur visus: ita quoque studiorum scholasticorum penes Protestantes rationem sensim immutatam esse, eo minus mirabitur, qui consideraverit, quæ fuerint liberalium artium in Germania fata, qui progressus, quive defectus. Namque quo curiosius, quoque diligentius scholarum publicarum initia atque origines investigamus, eo certius inveniemus earundem doctrinam fere linguarum Latinæ & Græcæ terminis tunc contentam atque comprehensam fuisse. Hi enim justi & erant & a doctissimis viris constituebantur limites curriculi scholastici, quos transire, sibi non solum religioni ducebant puerorum præceptores sed etiam eo minus opus habebant, quo studiosius ipsa humanitatis studia in academiis & docebantur & colebantur. Audiamus huius rei clarissimum testem Io. Caselium, virum suæ ætatis literatissimum. Nec adfirmare, inquit a) dubito, præceptores de prima ætate non rectius mereri, quam si utriusque linguae scriptores ita interpretentur, ut faciebant veteres, qui nobis præiverunt ad intelligenda scripta Græcorum & Latinorum: quos secuti fuere & æquavere nostra ætate multi, in quibus præludent Scaliger, Manutius, Lambinus, Turnebus, similes. Hunc etiam terminum statuo ludorum puerilium, nec multo ulterius promovendum. Hæc ille. Sed ipsa studia, quæ ad

A 2

humana-

a) In orat. funèbri Wilhelmi ab Heimburg D. 2. v. 17. 17. 17.

humanitatem pertinent, fere relinquebantur Academicis do-  
ctoribus tanquam possessio propria. Nec ita male. Cum  
enim hoc studiorum genus & ingenium subactum & multi-  
plicem rerum usum atque cognitionem ab idoneo discipulo  
exspectet: illi omnino, quorum & etas & ipsa vis mentis iam  
est confirmatior, citius atque felicius in artium liberalium cur-  
riculo progredientur, quam si qui annis & mentes debiles at-  
que rudes illud ingredi audeant. Artium autem istarum stu-  
dio atque cultu nuper admodum de munus instaurato, omni-  
umque animis novitate rei excitatis atque suspensis, mirum  
quantum doctores academicí tunc laborarent in ingeniosis tam  
commodis & poliendis, & ad virtutem homine dignam tradu-  
cendis, siquidem ab hac ipsa humanitatis studia nomen accep-  
se censebant. Quo factum, ut & in omnibus academicis fere  
scholis harum artium vox & sonus audiretur, & illi maximam  
laudem reportarent, qui plurimum in hoc doctrinæ genere  
profecisse iudicarentur. Quicunque ad docendi munus acce-  
derent, id dabant operam maxime, ut non nisi sermone Latino,  
eoque non elumbi sed succi & nervorum pleno uterentur.  
Si qui poëticam aut oratoriam artem profiterentur, illi & præ-  
cipuo erant in honore & maximum sibi poterant auditorum  
numerum polliceri. Certe Eobanum Hefsum, Virgilii vel  
Ovidii carmina Erfurti interpretantem, plus mille circumsta-  
bant auditores. b) Theologorum summa laus erat, optimos  
autores modo Græcos modo Latinos suis posse exponere at-  
que explicare. Vidisses Philippum Melanchthonem, maxima  
discipulorum multitudine stipatum, & modo Virgilium modo  
Hesiodum & Homerum explicantem, avide audi. Audi-  
visses Davidem Chyträum enarrantem c) Herodotum, Thu-  
cyditem, imo etiam Ciceronem de senectute. Etsi autem ju-  
ris-

b) Heumannus in Conspectu reipubl. liter. cap. IIII. §. XXXXVIII.

c) Schützius de vita Chytrai L. I. §. 38. 40. 42. 52. 54. & L. II. §. 38.

risconsulti, qui humanitatis studiis diligentius incumbebant, barbaro humanistarum nomine traducebantur vulgo: d) ta-  
men vel inde intelligitur, quanta diligentia in hoc quoque li-  
terarum genere colendo tunc sint versati. Medicorum au-  
tem literatissimorum uti nullo tempore desuit copia: sic eo  
tempore studium illorum in optimis autoribus interpretandis  
maxime eluxit. Certe insignes fuerunt hac laude Lipsiae Gre-  
gorius Bersmannus, Rostochii Brucaeus, Vitebergae Vitus Vin-  
semius, cuius postremi nomine etiam hac de causa libenter  
utor, quoniam tunc, cum academia Vitebergensis pestilentia  
metu Torgaviam concessisset, in his ipsis ædibus, in quibus  
habito, huic quoque laudabili incubuit studio. Quod vero  
vel primum & præcipuum judico, ipsæ artes ita fere doceban-  
tur, ut a Græcis & Latinis autoribus, tanquam fontibus, repe-  
terentur. Neque tantum oratoria aut poëtica scientia a  
Quintiliano, Cicerone, Hermogene, Horatio optimisque ora-  
torum poëtarumque veterum exemplis petebatur, id quod  
fortasse ipsa harum artium ratio & natura propria videretur  
exegisse, sed etiam, quod peculiare illorum temporum fuit,  
Philosophia, Medicina atque ipsa Mathesis tunc denum recte  
tradita iudicabatur, si illa ex uno & solo Aristotele, ista ex Ga-  
leno & Hippocrate, hæc vero ex Euclide & Ptolomæo potis-  
simum hauriretur & disceretur. Quo instituto sane nobilis-  
simo illud consequebantur doctores, ut & discipuli in eodem  
literarum ingenuarum studio & cursu perpetuo continerent-  
ur, & hæ ipsæ, id quod sunt, iuventutem ad humanitatem in-  
formare censerentur. Is enim tunc veteres autores expo-  
nendi mos erat, ut non magis in eorum voculis fastidiose  
excutiendis hærerent, quam præcepta vitæ, morum & pru-  
dentiae studiose sectarentur suisque inculcarent. Quænam  
enim exempli causa fuisset ratio, quare Vitebergæ Professor

A 3

Teren-

d) Heineccius in pref. prima Antiq. Roman. jurisprudentiam illustr.

Terentii peculiaris constitueretur, nisi id spectassent maiores nostri maxime, quod in hoc comicō elegantissima vitae doctrina & institutio comprehendatur. Namque & Tragoediarum lectionem valde utilē adolescentibus esse cum Philippo Melanchthonē e) iudicabant ad commonefaciendos animos de multis vitae officiis & de frenandis immoderatis cupiditatibus; & Plauti Terentiique fabulas saepius legendas, ut morum & voluntatum dissimilitudines in personis considererentur. Eadem fuit ratio interpretandialiorum poëtarum. Sic idem Philippus Hesiodum gravissimarum rerum præcepta continere, & ad mores formandos & vitam recte instituendam conducere, ideoque saepē relegendum & ad verbum ediscendum esse censebat. f) De Homeri autem lectione non dubitabat g) affirmare, quod hominis mentem ingentibus ac longe nobilissimis æternisque dīvitīis cūmulet ornet atque dītet. Idem institutum, eandem docendi rationem, cum in omni autorum veterum interpretatione servarent & sequerentur, illud ipsum in causa est, quare quoque expositiones & annotationes, quas in autores veteres literis consignarunt doctissimi ætatis illius viri, fere complectantur locos communes, qui de virtute, cuius præcepta in veterum scriptis potissimum quærebant, monēant lectorem. Itaque cum hæc ita essent, atque tanto studio liberales artes in academiis colerentur: scholarum limites iusti in linguis Græca & Latina continebantur, nisi forte quædam levia Rhetoricae aut Logicæ præcepta illis adjungerentur. Tales reperimus fuisse scholas Sturmii, Trocendorfii, Michaelis Neandri, quorum ludi literarii celeberrimi ea habebant.

e) In Adhortatione de legendis Tragœdiis & Comœdiis T. I. Declam. p. 180. 184.

f) In Praefatione Philippi prima Hesiodo Lipsiensis edit. 1666. præmisſa. Exstat quoque T. I. Declam. p. 211.

g) In Praefatione in Homerum ibid. p. 204.

bebantur ætate. Ecquid enim opus fuisset, limites illos ulte-  
rius promovere, cum pro sua diligentia & eruditione docto-  
res academicci & summo studio humanitatis literas docerent  
& omnino felicius eas juvenes ætatis robustioris docere pos-  
sent? Quodsi igitur præsentem scholarum statum cum eo,  
qui fuit initio, conferas, hem! quantam mutationem depre-  
hendes, ita ut plane alia jam sit facies rei scholasticae. Hu-  
manitatis enim studia, quæ academicorum doctorum perso-  
nis dignissima antea purabantur, tanquam fundus desertus a  
domino, reliæc fere sunt & cessere præceptoribus schola-  
sticis. Quam bene, jam non liber disputare. Sed ut id, quod  
dixi, testimoniis confirmem, libenter utor verbis duorum  
Professorum academicorum. Alterum sit Danielis Georgii  
Morhofii, qui ipse ad ingenuas artes docendas in academiam  
vocatus fuit & tamen, cum induxisset Jo. Caselium, commemo-  
rantem, quomodo se juvete Vitebergæ Vitus Vinshemius,  
Cracovius, Melanchthon; Lipsiæ Camerarius & Bersmannus  
Historicos ac poetas Græcos magna ingenii ubertate fuerint  
interpretati, non dubitat exclamare: h) viveret ille & veni-  
ret nunc in Germaniæ academias, & in Græca lingua ple-  
rosque obmutuisse, in Latina balbutire, seculine dicam an ma-  
gistrorum vitio deprehenderet. Donarem Græcam, sed in  
Latina lingua & eloquentia tantam passim regnare ignoranti-  
am, quis non indignetur? Et vero omnis illa eloquentiae fa-  
cultas saltem ex Latinis autoribus, si Græcos fastidias, hauri-  
enda est. Morhofio adiungo Christophorum Augustum  
Heumannum, Professorem Göttingensem. Hodie inquit, i)  
artes liberales ita tractantur in Gymnasiis, ut academicci Pro-  
fessores Græcae & Latinæ linguæ, itemque poëeos ac rho-  
trices, fere παρόποτα esse cogantur. Etsi autem hæc arro-  
gantius

h) Tom. I. Polyhist. Lit. L. II. c. IX. §. 10. II.

i) Hist. Lit. consp. loc. cit.

gantius in primis a doctore scholastico, qualis tunc Heumanus, cum hæc scriberet, erat, imo etiam acerbius dicta esse videantur: tamen omnino docent, quantopere illud studiorum genus in Academiis negligatur & contemnatur. Cum vero illis iuventus, quæ se literis dedit, adeo parum neque sine summis incommodis carere possit: num propterea diligentes & periti scholarum doctores accusandi erunt, si, progredientes longius, iuvenes ad ipsas artes liberales traducunt, atque, licet perfectum quid dare nequeant, tamen tantum, quantum possunt, consequi contendunt? Hæc autem studiorum scholasticorum mutatio cum tam insignis sit, hujus initia & originem jam seculo decimo sexto ad finem vergente & sequentis seculi initio extitisse eo facilius credes, quo luculentius vir elegantissimus Jacobus Burckhardus demonstravit, Ioachimum Camerarium literas in Germania vidisse renascentes & iterum pene extintas; k) atque quo verius omnino Ioannes Sturmius iam anno illius Seculi septuagesimo sexto scriptis, barbariem in civitates & aulas principum in scholas etiam academiarum partim clam irrepere partim etiam impetu & vi quadam aperte denuo invadere. Quæ vero sit ratio, quid fuerit causæ, quare illo in primis tempore tanta mutatio contingit, operæ pretium sane me facturum confido, si paucis iam exponere aggredior. Etsi enim causas multas atque varias video nominari, festinationem, quæ faciat ut juvenes a liberalibus artibus ad altiora studia properent, paupertatem plerorumque, quæ, prohibens in Academiis diu hærere, festinare iubeat, incrementa disciplinarum sublimiorum, quæ omnes academicos annos sibi solis depositant, imo etiam doctorum plerorumque scholasticorum vel negligentiam vel ignorantiam: tamen hæ causæ fortassis omnium temporum fuere communes,

cum

k) De linguae Latinæ in Germania fatis P. I. cap. VI. p. 432. ubi etiam Sturmii testimonium ex Praefat. in St. Doleti formulas L. L. affert.

cum ego contra in causas illius aetatis, qua mutatio illa facta,  
proprias inquirere iam constituerim.

Prima causa sine dubio illius memorabilis mutationis fuit  
nova ratio docendi, quam plerique doctores ingressi sunt eo  
tempore in academiis. Cum enim antea demonstraverim, ex  
Græcis Latinisque autoribus plerasque scientias initio erudi-  
tionis instauratae fuisse haustas atque de promtas, doctores aca-  
demici, operosum illum laborem fastidientes, eoque viam  
magis compendiariam querentes, sepositis veterum scriptis,  
prolapsi sunt ad scientiarum compendia, ex quibus brevissime  
& facillime addisci posse videbantur. Testes hujus rei suffici-  
ant nobis eruditissimi illius duumviri. Plane enim &  
luculenter id, quod ostendi, docet Polycarpus Lyserus, Theo-  
logus Vitebergensis celeberrimus. Porro, scribit ad amicum,  
1) ut quoque de Aristotelis, Philosophorum Principis, scriptis  
quid sentiam, scribam, tantum abest, ut illa ex scholis relegan-  
da esse statuam, ut nunquam dissimulaverim, me mirari, qui  
fiat, quod in hac schola nostra, quæ cum reliquarum in Ger-  
mania academiarum quasi communis mater esse statuatur, tan-  
tum compendia Philosophiae studiosæ iuventuti prælegantur,  
Aristotelis autem libri prorsus negligantur. Ego omnino ju-  
dico, Dn. Philippum initio compendia Philosophiae saltē pro  
incipientibus scripsisse, idque non hoc consilio fecisse, ut Ari-  
stotelis libros ex manibus discentium prorsus excuteret, sed  
tantum ut eosdem ad legendum ipsum Aristotelem introdu-  
ceret, & quasi viam sterneret. Hæc ille. Sed quid inde ma-  
gis perspicuum est, quam iam tunc Philosophiam incepisse di-  
sci ex compendiis, & insanum illum, qui plerorumque ani-  
mos invaserat, amorem in Philippum Melanchthonem etiam  
hujus compendiariæ doctrinæ causam extitisse. Eandem ve-  
ro docendi rationem etiam in aliis scientiis tradendis sensim

B

obti-

---

1) In Sylloge Epistolarum Lyserianarum p. 287.

obtinuisse, demonstrat gravissime Io. Caselius, in scholis, testatus, m) pene omnibus tam publicis quam privatis, tam celebribus quam obscuris, cuiuscunque potius libros, etiam indoctorum & barbarorum hominum, tritos tum esse, & veluti oracula tractatos, quam veterum aurea illa monumenta. Quæ cum ita fierent, atque iuvenrus literarum studiosa animadverteret, se si ne multa Græcarum & Latinarum literarum cognitione quascunque scientias facile discere posse, libenter, uti animus manus per se proclivis est ad pigritiam, spretis illis antiquis scriptoribus, potius omnia alia quam liberales artes in academiis tractabat. Quod antea longe secus fuit. Nisi quis enim Latinorum & Græcorum libros legere & intelligere posset, eidem neque ad ipsas scientias, quæ in academiis docentur, aditus patebat.

Altera causa doctrinæ scholasticæ mutatae fuit, uti ego arbitror, ipsa doctorum scholasticorum arrogantia. Cum enim & pulcrum videretur, multiplicem rerum ostentare scientiam, & ea re doctrinæ variæ apud alios sibi comparare famam? facile accidit, ut studiorum scholasticorum curriculum extenderent atque amplificarent. Vtar autem rursus autoritate Io. Caselii, utpote viri harum rerum peritissimi. Ita autem ille de suæ ætatis scholasticis magistris: Hodie, ait n) quod merito reprehendum est, in quibusdam ludis puerilibus Latinæ & Græcæ literæ & quedam artium principia accommodatarum pueritiae & adolescentiae geniis contemnuntur, petulantia novatorum & magna ex parte negliguntur, & philosophantur, ut ajunt, qui præter sapientiae nomen nihil auribus acceperunt, opinionum, haud scio, quarum cultores, & loquacitatis

m) In Epistola ad Jo. Ern. ab Hoim, Galeni libello: quomodo quis & dignoscat & sanet proprios animi sui affectus, ab ipso edito adjecta.

n) In orat. funebr. Io. Nivinio scripta.

33 30 33

11

citatis magistri insolentes admodum. Idem alio loco o) adhuc luculentius exponit hanc magistrorum juvenilium superbiam, ex eo tempore, querens, quo Georg. Fabricius Miseneri scholae præesse desierit, non paucos magis corrupisse scholas inferiores, hi præsertim, qui eas instar academiarum esse voluerint. Fallor, aut Caselius insectatus est his verbis gymna-  
sia, quæ illo fere tempore oriri ceperunt. Cum enim gymna-  
sii vox ante literarum instaurationem etiam de academiis usur-  
paretur; p) post illam vero esset scholarum inferiorum com-  
mune: q) sub finem fere seculi decimi sexti factum est, ut  
scholæ, quæ inter reliquas eminere vellent, appellarentur no-  
mine proprio gymnasia. Memini sane aliquando me audi-  
re Theologum Vitebergensem Gottlieb Wernsdorfum de  
gymnasiorum origine disputantem. Quam quidem ille re-  
ferebat ad Calvinistas Germaniae. Cum enim seculo deci-  
mo sexto, antequam Heidelberga ad illos transiret, nullam in Germania haberent academiam, & tamen suos iuvenes in  
peculiari suæ religionis schola libenter vellent erudiri, cepi-  
se eos id consilio, ut gymnasia aperirent, in quibus studia aca-  
demicis propria docerentur. Sic memorabat antiquissima  
gymnasia esse Servestanum, Neustadiense in Palatinatu & Bre-  
mense, quæ singula paterent Calvinistis. Nominis vero splen-  
dore & rei novitate inductos Lutheranos esse opinabatur, ut  
ipsi quoque gymnasia instituerent. Et omnino videntur tem-  
porum rationes congruere, ut verisimilis Wernsdorfiana sen-  
tentia videatur. Namque quis ignorat, Calvinistas eo seculo,  
neque facultatem religionis profitendæ liberam in Germania  
B 2 habu-

o) In orat. funebr. Andr. Mylio scripta.

p) Hechtius in Germania Sacrae P. II. L. XIV. toto cap. II.

q) Ita Chyträus ludum literarum vel gymnasium Pernaviense promi-  
scue appellat. Oratt. p. 178. l. Idem facit de Græcenſi schola in  
Stiria in oratione eius inaugurali p. 331. Oratt.

habuisse, neque a Cæsare, potuisse iure obtinere potestatem  
constituendi academiam? In illis quoque gymnasii Calvinistorum  
iuvemes complures tamdiu institutos esse, donec ad  
munus publicum accederent, id quidem multis exemplis ostendendi potest.  
Atque recordor aliquando me esse Servestæ  
cum humanissimo rectore illius gymnasii van Bashuysen & ex  
illo audire, quod adhuc suo tempore discipuli quidam ad munus  
sacrum, idque publicum sint avocati. Quanquam vero multa  
Lutheranorum gymnasia suam originem altius repetere solent:  
tamen vereor, ut ullum possit Calvinistica illa superare  
antiquitatis gloria. Quæcunque enim altius ascendunt, dictæ  
sunt primis temporibus scholæ, & postea demum sibi gymna-  
sii nomen asciverunt. Sic exempli causa gymnasium Nori-  
bergense a Wagenseilio, de civitate Noribergensi com-  
mentante, dicitur gymnasium & anno 1526. institutum,  
sed a Philippo Melanchthoni, qui illud oratione so-  
lenni inauguravit, in hac ipsa plerumque appellatur schola,  
semel tantum gymnasium; quippe quod nomen eo tempore  
nondum distinguere & discernere scholas solebat. Quæ  
quidem tantum absunt ut in gymnasiorum invidiam aut  
contentum abs me commemoarentur, ut potius illud modo  
hac disputatione consequi velim, ne origines rei scholasticae  
mutatae lateant. Quemadmodum enim viri doctissimi eo  
tempore, quo gymnasia sunt exorta, passim optarunt, ut aca-  
demias sua relinquenter studia, suæ artes: ita hodie, post  
quam scholæ insigniores atque gymnasia iure possessionis con-  
secuti sunt facultatem ingenuas artes docendi, & hæ ipsæ in  
academiis fere despiciuntur, gymnasiorum institutum laudatu  
dignissimum merito conseretur, quæ nisi essent, facile bonarum  
artium studium penitus intercederet. Quid? quod in scho-  
las quoque, in quibus eadem r) quæ gymnasiorum sunt, stu-  
dia

---

r) D. Godofr. Ludovici, ipse Rector gymnasii, in historia rectorum gy-

dia docentur, eadem recideret accusatio, cum hic non de nomine sed de doctrina gymnasiorum sit disputatio. Saltem illud videor mihi confessisse, quod arrogantia scholarum aliqua causa fuit, quare liberalium artium studia potius in scholis quam in academiis sedem aliquantulam adhuc invenerint, quodque initio omnino melius fuisset, si academiae maiori studia illud literarum genus sibi vindicassent.

Vt autem tertiam causam quoque attingamus illius mutationis, de qua dicere suscepimus, illa quidem ex prioribus duabus orta est, sed tamen plurimum ad res scholasticas novandas attulit momenti. Nam negligenter Professorum atque superbia scholasticorum doctorum factum deinceps, ut liberalia studia tantum puerilia neque academiis digna judicarentur. Io. Caselius, qui sua ætate mutationem ingruentem vidit, huius causas novit, & optime potuit de iis iudicare, hanc causam quoque optime nobis confirmabit. Eam enim s) ostendit opinionem plurimorum animos sensim pervasisse vt, humaniora studia puerorum esse putarent nec nisi puerilia, & tales lectiones otiosis hominibus relinquendas, quibus libeat tempus fallere, ut alii totos dies pila fallant aut alea. Enimvero cum hac ratione fieret, ut utilissimum illud literarum genus in academiis magis

B 3

magis-

gymnasiorum scholarumque celebriorum Pref. Part. I. nisi scholæ, ait, sunt provinciales, quæ gymnasia hodie plerumque vocari solent, ex iis tamen, quæ ad gymnasium requiruntur, utrum hoc si bi nomen tribuere possint Athenæa, facile est perspectu, & Scholæ cum contra ea nuncupari volunt, gymnasiorum nomen optime promeritæ, suis non destituuntur causis. Idem paulo post exponit quænam scholæ optime nomen gymnasiorum promereantur, scilicet, quæ iuvenes academiae per ipsas lectiones publicas præparant.

s) In epistola parænet ad Greg. Cernicovium.

magisque in contemptum abiret: profecto nunquam satis digna gratia potuit magistris scholarum referri, quod iuveniles & teneras mentes in his ipsis literis satis diu tenerent, & incommodis illis, ab harum literarum contemptu provenientibus, aliquo saltem modo studerent mederi. Equidein non ita absurdus sum, ut existimem in scholis artes liberales posse in toto suo ambitu plene & perfecte tradi, sed iuventutem in scholis tamdiu contineri sufficit, donec gustum aliquem artium ingenuarum sibi comparaverit. Quovis enim pignore despondeo, fore tunc, ut etiam in academia illarum literarum studium nunquam deponat, si modo prius earundem delicias recte percepérat atque gustarit. Hi termini, hi fines curriculi scholastici hodie iure sunt.

His igitur rei scholasticæ mutatae causis abs me disputatis, omnino intelligitur facile, multo iam præstantiora atque graviora esse studia scholastica, quam initio scholarum institutorum fuere. Sane illud ipsum videtur in causa fuisse, quare plerisque magistris scholarum publicarum & levis honoris gradus & vile stipendium sit assignatum, quoniam, cum haec ita ordinarentur, ipsa studia doctorum sic comparata erant, ut illis eorum labor contentus esse posset. Quod quidem quanta incommoda pariat, appareat, cum propter stipendiū tenuitatem atque contemptum muneris scholastici vix aliquis se conferat ad id suscipiendum, quisquis modo certus est suæ doctrinæ, aut de agrestibus aliquando adhuc docendis non desperat. Me non penitet mei vel loci vel dignitatis vel stipendii. Sed neganda non sunt damna, quæ alibi quotidie exoriuntur. Quod si autem & iuvenes & iuvenum parentes considerarent tantum tamque amplum studiorum scholasticorum ambitum: omnino patientius ferrent doctores, qui eos de filiorum abitu in academiam non maturando non raro vehementius admonendi graves reperiunt causas. In tanta enim doctrinæ varietate & multitudine sane etiam plures anni concedendi sunt scholis.

Præ-

Præclare, ut omnia, etiam hic Morphius t) qui, cum Mechovii confilium suadentis, ne ante annum vigesimum & primum e scholis iuvenes exirent, magnopere comprobasset: Quam bene, clamat, cum republica ageretur, si lentis illis modestisque gradibus primum ad academias & ab illis ad cathedras, tribunalia & subsellia procederemus. Sed volatrica hodie omnia sunt & superficiaria, cum plurima pars iuvenum solam ostentare speciem quam solidam præstare eruditonem malit; Quo fit, ut propediem barbaries omnia occupet, & ubique improbitas & ignorantia triumphet.

Longe meliora possumus sperare de tribus illis Lycei nostri discipulis, qui nunc abitum in academiam parant, atque omnino, licet non eodem gradu, tamen tanto studio boenas literas hic didicere, & ita excellentibus ingenii dotibus instructi sunt, ut, si in doctrinæ studio acriter pergant, optima quæque ab iis res publica & in primis nostra civitas posit expectare. Cum enim more & instituto maiorum & orationibus habendis suæ diligentiae exemplum edere & pietatis causa Musis nostris valedicere publice constituerint: ea argumenta orationum sibi delegere, quæ quisque maxime sibi accomodata esse iudicabat, ita ut

Wilhelmus Benjamin Zapfius,  
Torgaviensis, de sapientia

Jo. Wilhelmus Hermannus,  
idem Torgaviensis, de virtute & frater germanus

Jo. Friedericus Hermannus,  
de Torgaviae laude

dicere

t) Polyhist. T.I. L.II. Cap. X. §. 46.

dicere constituerint: is vero, qui his tribus amicissimis iuueni-  
bus abitum gratulabitur,

Otto Hieronymus de Stutterheim,

Eques Marchicus, de amicitia, ex studiorum similitu-  
dine orta,


agere suscepere. Quod institutum honestum iuvenum opti-  
morum ut Patroni & amici nostri Lycei sua benevolentia pro-  
sequantur & cras sacris publicis finitis oratores nostros per  
benigne audiant, est quod & spero & religiosis precibus

contendo. Dedi e museo d. 19. Sept. A. O. R.

∞ 15 CC XXXVIII.







99 A 6971



56.

V3-12

Rheo





DE  
**STUDIORUM  
SCHOLASTICORUM**

ratione

apud Protestantes in confiniis Seculi  
XVI & XVII commutata

exponit

&

ad orationes iuveniles

d. 19. Septembr. A. O. R. 17CCXXXVIII.  
audiendas

Patronos & Amicos Lycei nostri

per officiose invitat

Michaël Heinricus Reinhardus.

TORGAVIAE,  
LITERIS PETERSELLIANIS.

